

05

A

2470



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-600129-p0002-3

DFG

DISPUTATIO  
DE MVNDO

Quam

Annente ~~νεομονική~~ sapientiss.

In Illustri VVitebergensium Academia con-  
sensu amplissimi ordinis Philosophici,

Candidæ eruditorum censuræ  
publicè proponit

M. AMBROSIUS HANNE-  
MANNUS JVTREBO-  
CENSIS,

R E S P O N D E N T E

Johanne Herphardo Fran-  
cofurtano Marchico.

Ad 12. Novembr. horis matutinis,

In Auditorio Philosoph.

---

WITEBERGÆ,  
Typis Martini Henckelij, Anno CHRISTI

M. DC. VIII.



AMPLISSIMIS VIRIS.

Pietate, eruditione, virtute & autoritate  
præstantissimis,

Laudatissimæ Jutrebocensis reipublicæ  
Politevtis.

Dn. M. BALTHASARI SCHARNOVIO  
Prætori, Præceptori olim suo honorando,

Dn. CHRISTOPHORO Gröbitz CON-  
suli, Evergetæ suo benigniss.

Dn. CASPARO LANGIO, CONSULI,

Nec non & reliquis senatoriâ ibidem dignitate,  
conspicuis viris,

*Dominis Fautoribus & Promotoribus suis observandis*

Hanc disputationem, grati animi signum  
libens merito dedicat.



PRÆSES.

05 A 2470

S. M. O. E. S.

# DE MUNDO.

## THEISIS I.

**R**æterquam quod Salvatorem nostrum JESUM CHRISTUM (in cuius nomine auspicamur) in carne videre, & D. Paulum in concione Divus Augustinus consideravit, tertiani etiam voti sui adjectit materiam *Romam in flore*.

### II.

Idq; non immerito. Lux enim ista orbis terrarum (a), patria omnium gentium (b), & ut compendio magnifice eam laudavit Martialis (c), Terrarum Dea, gentiumq; Roma, Cui PAR nil fuit, & nihil SECUNDUM; diligenti inspectione fuit dignissima, tum propter reip. dignitatem (d), tum propter potentiae, virtutumq; amplitudinem.

(a) Cic. in Cat. 3. (b) ex constitut. Antonini Imperatoris, referente Salmut in notis ad Panciroli & Cœlio Rhodig lib. 18. antiqu. lect. c. 25. (c) lib. 12. (d) Livius lib. 9. Florus lib. 1.

### III.

At cum *Roma* illa vetus & speciosa super omnes usquam & unquam urbes (e) jamdudum in flore esse desicit, & in cineres redacta vix loci sui noticiam reliquerit; de alia civitate (f) contemplanda solliciti modo erimus, cui nominis *Roma* interpretatio, quod apud Græcos est vocabulum fortitudinis, apud Hebreos sublimitatis; gloria & fama apud Germanos (g), longè aptius conveniet

1 2

(e) Lopf.

(e) Lips. lib. 3. de magn. Romana cap. 2. (f) Cicero lib. 3.  
de finibus. & 2. de nat. Deorum. (g) Hieronymus lib. 2. ad.  
versus Iovin. Plutarchus in Romulo. Lipsius lib. 1. de mag.  
Rom. c. 2.

I V.

Ecquæ ista Civitas? MUNDUS; vel ipsa nominis  
elegantia, cui multum inesse laudis censet Cœlius Rhodi-  
ginus (h), ad contemplationem sui alliciens, & qui propter  
absolutissimam illam mundiciem verius mereatur elogi-  
um antiquæ Romæ à Lipsio (i) tributum, quod sit *omnium  
operum opus*.

(i) Ciatto lib. 3. c. 2.

V.

Unde dignitas ipius eluet vel maxima; sed quam  
non minor comitatur utilitas, agnitio creatoris. Nec enim  
in artibus modò gratam de Deo famam sparsam existi-  
memus, sed totam rerum universitatem testimonium de  
autore suo clarissimum dicere non dubitemus. Unde,  
τὸ γνῶσθαι τὴν Ἰησοῦν ex operum Dei contemplatione acquiri  
posse scribit Apostolus (k), & Philosopho nulla est res na-  
turæ in qua non sit θαυμασούσι, (l). In quam sententiam e-  
leganter canit Stigelius (m):

*Emitat ex ipsis divina potentia terris  
Et levis est cespes, qui probat esse Deum.*

(k) Rom. 1. v. 19. (l) Lib. 1. de part. animal. cap. 5. (m)  
In Elegia ad Paul. Eberum.

V I.

MU NDUM itaq; brevibus contemplaturi à defini-  
tione ἐρεπτόδει facimus initium. Siquidem vocabulis  
sæpe numero in rei perceptionem provchimur (n), dum

τὰ πολλά

νὴ τολλαχῶς λεγούσα expræscripto Philosophi (θ) non prius evoluta ambiguitatem pariant.

(n) Scal. 1. Ex. 1. s. 1. Ex. 101. s. 1. Ex. 325. s. 9. Ex. 359.  
s. 1. (o) 1. Top. 13.

## VII.

Sunt vero in ea expendenda tria: ἐπιμολογία, σωστη-  
ρία, & ὄφοντηρία.

## VIII.

Ἐπιμολογία quod spectat, Latinis dicitur Mundus à  
mundicie: Græcis κόσμος, cuius appellationis autor pri-  
mus Pythagoras (ρ), διπλά τε κοσμοῖν; Vtrisq; ab ornatū, ele-  
gantia, pulchritudine, in omnium inter se ἀντίξια consi-  
stente. Unde illud:

Non alio mundus debebat nomine dici

Nomen ab ornatu convenienter habet.

(ρ) Conymb. in 1. cœl. 1. quest. 1. art. 3. Cœlius Rhodius.  
lib. 1. c. 6.

## IX.

Σωστήριον ei est η πᾶν, universum seu universitas,  
Quo nomine vocatur ab Aristotele (q), Platone (r), Cice-  
rone (s), Damasceno (t), & aliis. Quæ appellatio quam-  
vis aliquibus ut nimis superba displiceat, ut ex Danaeo (u)  
refert Casmannus (x): tamen si ad certum genus, natu-  
ras videlicet corporeas restringatur, propter authorita-  
tem autorum rejicienda non videtur.

(q) 1. Cœl. 1. T. 4. in lib. de mundo cap. 6. (r) In Timœo.

(s) In lib. de Universitate. (t) lib. 1. Orthodox. fid. cap. 5. (u)  
in Phys. Christiana part. 1. c. 9. (x) in Cosmop. cap. 1. quest. 1.

A 3

Acquæma.

omittit soli

## X.

Ac quemadmodum vox Universi ambitum ejus excedit, ita eundem non exequatur videtur vocabulum cœli, quo συνεδοχικῶς vocatur aliquoties à Philosopho. (y)

(y) ut i. Cœli s. t. 76. & t. 96. & 98.

## XI.

*Opinaria* varias inquirit significaciones: Quarum quædam *Theologiae* propriæ; quædam *Philosophiae*; quædam utriq; communis.

## XII.

Propriæ *Theologiae* sunt præcipue duæ; dum i. εἰς οὐρανὸν pro nobilissima mundi parte accipitur, pro genere nimirum humano; eq; vel totò, tam fideles quam in fideles complexo (z), vel pro reprobis tantum (a). 2. μεταφορae pro omni eo quod adversatur regno Christi spirituali (b).

(z) Ioh. 3. v. 16. Rom. 5. v. 12. 1. Ioh. 2. v. 2. 2. Corin. 1. 5. vers. 19. (a) Ioh. 14. v. 17. 1. Ioh. 5. v. 19. & passim libi. (b) Galat. 6. vers. 14.

## XIII.

Significationes *Philosophiae* peculiares sunt itidem duæ. Nam 1. accipitur pro corruptilibus saltem, unde dicitur mundus inferior; 2. pro animali & quidem præcipue pro homine, qui inde μηρόσωμο & appellatur (c).

(c) Arist. 8. Phys. 6. 2. t. 17.

## XIV.

Significatio utriq; communis est, quando accipitur ἀινὴς pro aggregato seu Compagie corporum cœlestium & sublunarium (d).

(d) Ioh. v. 10. Aristoteles de mundo c. 2.

Hoc ultimo

## XV.

Hoc ultimo modo acceptum definimus, quod sit  
systema corporum naturalium ordinatissimum, quod à  
DEO & propter DEVM, adeoq; & propter homines est  
& conservatur.

## XVI.

In hac definitione generis locum obtinet *σύγμα*; vox  
quidem Metaphorica & à Musicis accepta, sed quæ pro-  
pter *ἔμφασιν* meritè retinetur.

## XVII.

Cum vero definitio sit causalis, non abs re facturi  
videmur, si eam melioris cognitionis gratia per quatuor  
causarum genera duxerimus, siquidem cognitio rerum  
sit per causas (*f*), & jure fœelix censeri debet, qui poterit  
mundi cognoscere causas.

(*f*) *Aristoteles. I. Phys. c. 1. T. 1. Posterior. c 2. T. 7. & mul-*  
*tibus aliis in locis.*

## XVIII.

Materiam igitur mundi quod attinet, ea duplex  
est: vel constituendi mundi, vel constituti. Constituendi  
non est chaos illud Ovidianum (*g*) Hesiodeumve (*h*): Non  
numeri Pithagorici (*i*): nec præ existens aliqua materia, ut  
multi Philosophi, inter quos & Plato (*k*), imaginati sunt:  
Non atomi Epicureorum, ex quarum temerario concursu  
extiterit: sed NIHIL (*l*), quod est extra omnes fines en-  
titatis (*m*). Igitur:

*Materiam noli querere, nulla fuit.*

(*g. lib. I. Metamorph. fab. 1. (h) In Theogon. v. 115. &*  
*seqq. Conymb. in I. Phys. c. 7. quest. 3. art. 2. (i) Cicero ib. 4.*  
*Acad. quest. (k) Scal. Exer. 61. sect. 3. Rungius in cap. I.*  
*Genes.*

*Genes. (l) Sapient. 8. v. 2. Maccab. 7. v. 28. Rom. 4. v. 17.  
Heb. 11. v. 3. Esai. 41. v. 24. (m) Scal. Exer. ult. f. ult.*

### XIX.

Creare enim significat aliquid ex nihilo fabricare  
(n), & creatio est substantia ex nihilo constitutio (o). Quæ  
D E O, qui in non ens agere potest (p), adeò non fuit im-  
possibilis, ut nullis omnino ad tanti operis fabricam mini-  
stris, quos requirebat Epicurus (q), sed V E R B O saltē  
opus fuerit. D E I enim dicere est facere (r).

(n) Chemnit. in Loci Comm. loco de creatione. Polycarp.  
in Adamo. (o) Scal. Exer 6. f. 13. (p) Scal. Exer. 365. sect. 9.  
(q) Cic. 1. de. nat. Deorum. (r) Psalmo. 148. v. 5.

### XX.

Quin data & concessa materia præexistente seque-  
rentur absurdia quā plurima; quorū absurdiora hæc. 1. D eū  
non esse causam omnium rerum. 2. non esse Ens perfectissi-  
mum & independens. 3. virtus agendi in D E O non esset  
infinita si ad conditionem materiæ restringeretur. Et 4.  
consequenter ipsum. Esse D E I non esset infinitum; siqui-  
dem modus agendi restrictus & limitatus arguit essentiam  
non-infinitam.

Vide de his latius Casman. in Cosmop.

### XXI

Constituti verò Mundi materia est τὸ Φυσικὸν σῶμα  
καὶ αἰσθητὸν (s), vel ἐγαρὸς καὶ γὴ, καὶ αἱ ἐν τοῖς περιεχέμεναι  
Φύσεις (t). Vnde Zabarella (u) non simplicia tantum, sed  
& mixta corpora ad perfectionem vniuersi requirit.

(s) lib. 1. de Cœl. c. 9. T. 98. (t) lib. de Mundo cap. 2.

(u) de nat. scienc. constis. c. 16. Item Cicero de Vniver.

### XXII.

Forma Mundi propemodum est pomum Eridos in turba Philosophorum, quibusdam eam & quidein essentiali assignandam censemibus (x), quibusdam dene- gantibus; quos recenset Piccolomineus (y). Verior sententia ex brevi opinionum colatione elucescer.

(x) Casmann, in *Uranograph.* c. 3. (y) in lib. de mundo cap. 3.

### XXIII.

Qui forma propriè sic dicta cum informant, in diversa abeunt. Quidā enim arripiunt Figuram sphericam: quod facile refellitur. Accidens enim quomodo consti- tuit substantiam (z)? cum secundum Scaligerum (a) hæc ab illo nullam possit habere causam, propter quam ipsa sit

(z) 7. *Metaphys.* T. 39. (a) *Exercit.* 307. *sect.* 27.

### XXIV.

Quibusdam D E V S est forma Mundi: aliis adhuc absurdioribus pars ætheræ (b). At nec efficiens potest esse forma effectus; nec pars totius.

(b) *Piccolom.* & *Casm.* locis citat.

### XXV.

Alij & quidem magni nominis viri Animam pro forma venditant, ut Thales (c), Plato (d), Cicero (e). At si animatus esset mundus, tribuendus esset ei peculiaris aliquis motus: Jam verò, docente Zabarella (f) à mundo nullus peculiaris proficiuntur motus, Ergo.

(c) *Laert.* lib. 1. & 7. *de virtutis Philos.* (d) *in Timao.* (e) *lib. 2. de natura Deorum.* (f) *de nat. scient. constit.* c. 7.

### XXVI.

Alij, quorum sententiae calculum adjicit Casmannus (g), & Piccolomineus (h) dicunt formam Mundi esse Ordinem

B

dinem esse entialem corporum, ad ejus constitutionem con-  
spirantium, vel res naturales cum hac reduplicatione con-  
sideratas, ut ordinatae sunt secundum essentiam.

(g) In Cosmop. cap. 3. quæst. 5. (h) in lib. de Mundo cap. 5.

## XXVII.

Atqui Ordo non minus est accidens, quam figura.  
AEquè igitur nequit esse altera pars compositi. Quare  
valde inordinatus videtur hac in parte ordo iste, utpote  
~~μεταξων~~ committens ~~εις αλλο γεν.~~, ex relatione in substanti-  
arum tribum præter ordinem transiliens. Sed & contra-  
rium in adjecto manifestè deprehenditur. Quid enim aliud  
Substantialis ordo quam ~~ευκράτερα?~~

## XXVIII.

Præterea unum, idemq; diversimodè consideratum  
posse esse & materiam simul & formam sui ipsius ~~αφιλόσ-~~  
~~φον~~ est; cum duo ista non considerandi tantum modo dif-  
férant, sed recipsa.

## XXIX.

Quid ergo? Mundus erit informis? Minimè, sed  
hunc ipsum Ordinem corporum ad invicem admirandum  
formam ejus agnoscimus (*i*), non substantialem, sed ac-  
cidentalem, quæ, cum Mundus sit unum per accidens, na-  
turæ ipsius conveniens est.

(i) Conimbr. 1. Cœl. 9. quæst. 1. art. 3.

## XXX.

Mundum verò esse unum per accidens manifestissi-  
mè liquet. Ex multis enim actu non potest fieri unum per  
se. Cui sententia suffragatur etiam Scaliger (*k*) dicens.  
Mundum esse unum non unione formæ informantis, sed  
unione

unionē primi principij efficientis & finis , propterea, quod  
ab uno & ad unum omnia. Et paulò post reducit universum ad unitatem ordinis eorum , quæ ab uno ducta principio, in eundem unum tanquam in finem proprium deducta convenient & inter se & in illo.

(K) Exercit. 6. s. 2. Conimbr. loco cit.

### XXXI.

Simili igitur ferè modo Mundus est unus quo acies ;  
quæ nihil est aliud , quam ordo militum sub uno duce ad  
unum finem , victoriam nimirum consequendam ordine  
dispositorum.

### XXXII.

Sequitur Efficiens , quam mundo denegarunt non  
pauci , isti præsertim Atomorum conglomeratores Epicurus , Democritus , eorumq; sectatores . Aristotelem ab  
hac sententia eximit Scaliger (l) creationem ipsi notam  
fuisse dictitans (m) . Quod licet & Conimbricenses (n) ve-  
risimile autem ; Vero tamen vix videtur consentane-  
um. Quomodo enim id , cui neq; principium est unquam ,  
nec finis in ipso (o) ex Philosophi sententia , potuit creari  
& initium habere ?

(l) Exercit. 6.1. sect. 3. (m) motus loco ex 2. de generat. &  
corrupt. c. 10. T. 59. & sect. 30. problemat. s. (n) in 8. Phys.  
cap. 2. quæst. 2. art. 2. (o) Manilius. lib. 1. Astronomic.

### XXXIII.

Nec verò Thōmā (p) , Albertū (q) & alios hic  
audimus , qui dicunt , Aristotelem sibi hanc sententiam ,  
non ut demonstratam proposuisse , sed ut probabilem di-  
ialecticis rationibus agitasse. Etenim sententia Aristotelis  
clarior est , quā ut ejusmodi glossematis possit interpolari.

B 2

Et

Et nihil refert quæstionem hanc inter problemata Diale-  
tica relatam ab eo fuisse (r). Nam, ut docet alibi (s), in  
exemplis non requiritur veritas.

(p) i. part. quæst. 46. art. 1. (q) in 8. Physic. tract. 1. c. 1.  
referente colleg. Conimb. in 8. Physic. c. 2. quæst. 3. art. 1. (r)  
lib. Topic. (s) i. Priorum analyt. c. 39.

#### XXXIV.

Utraque autem sententia cum sit absurdâ; illorum  
præcipuè, qui ne domum quidem unquam ex atomis con-  
flatam monstrare queunt, nedum tantam operis molem;  
necessè est ab alio habeat Mundus existentiæ principium,  
à Deo nimurum ter opt. max. (t), à quo, per quem, & in  
quo sunt omnia (u) quique eum liberrima voluntate pro-  
ductum potentissimè adhuc conservat.

(t) Gen. 1. v. 1. & seqq. 1. Corinth. 8. v. 6. Ioh. 1. v. 3.  
Psalmo. 33. v. 6. (u) Rom. 11. v. 36. Actor. 17.

#### XXXV.

Unde istum Cerdonis, Marcionis & Manichæorum  
~~Ψλλοβον~~, quem alterum finixerunt rerum principium (x)  
ad orcum relegamus; & fundamentum eorum præcipuum  
ex axiomate Aristotelico, contrariorum contrariæ sunt  
causæ, extructum, distinctione boni in natura per se à malo,  
quod per accidens accessit, in favillas dissolvimus.

(x) Chemnit. loco citato de creat.

#### XXXVI.

Relinquimus quoque Basilidem, Cerinthianos, Me-  
nandrianos & Saturnianos, qui Angelis hanc creationis  
laudem asserere ausi sunt, Damasceno (z) Chemnitio &  
Rungio (a) annotantibus. Neq; beatissimam etiam sem-  
per-virginem Mariam omni laude dignissimam, cum ab-  
surdissimis quibusdam Pontificijs, (b) qui se alias creato-

res

res creatoris (ō os Bielis impudens & blasphemum!) info-  
lentissime jactitant, in tanti operis! societatē admittimus.

(z) In libro de hæresibus. (a) in. 1. cap. Genes. (b) In Psalterio  
Marie Ps. 118.

### XXXVII.

Et quemadmodum D<sup>E</sup>us principium Mundi; ita  
eiusdem est finis; non hominis modò creati & existentis  
(c); sed universi Entis (d) seu totius naturæ (e).

(c) Scalig. Exer. 254. (d) Proverb. 16. v. 4. Piccolom. in  
Comite polst. pag. 983. (e) Conimbric. in. 1. decal. c. 9. q. 1. a. 3.

### XXXIX.

Cui tanquam primario fini accedit alter secundarius,  
videlicet Homo, qui Aristoteli (f) est finis ἀνάτολης; Picco-  
lomeo (g) mundorum omnium Epilogus. Cujus gratia  
omnia facta esse rectèpronunciārunt Stoici (h): quicquid  
etiam contra sentiat Cardanus (i).

(f) lib. 2. Phys. c. 2. t. 24. (g) in. lib. de mundo cap. 1. (h) Phi-  
lib. Melanth. lib. 1. Phys. (i) lib. 11. subtilit.

### XXXIX.

Sed quid prohibet post principia seu causas, affectio-  
nes etiam Mundi paucis delibare, cum & hæc ad existen-  
tiā ejus requirantur (k)?

(k) Zabar. de constitut. in aivid. cap. 5. Scal. Exer. 5. sect. 6.

### XL.

Eæ verò spectantur potissimum in quantitate; Ubi  
ratione discretæ, Unus; ratione continuæ, finitus est,  
tamen magnitudine, quam duratione. Quibus additur Ro-  
tunditas, quam habet ratione Figura. (l).

(l) 2. Cæl. t. 32.

### XLI.

Unum esse negavit Epicurus (*m*), ejusq; discipulis Mero-dorus, qui absurdum esse aiebat, in magno campo spicam nasci, & in infinito dari unum mundum; quæ tamen non satis digna illacrimandi causa fuit Alexandro Magno, cum satis amplū adhuc ipsi in hoc terræ puncto ad tumultuandum, ut loquitur Plinius, & bella gerenda superfuerit spaciū. (*m*).

(*m*) Livius lib. 9. Decad. 1.

### XLII.

Aristoteles quidem aliquot rationibus Unitatem mundi propugnat (*n*), quæ tamen id ipsum non evidenter demonstrant, ut disceperit ostendit Plutarchus (*o*). Nos, quia nulla vel probabili saltem ratione contrarium suadetur, unum esse ita uimus: quippe natura non servat per plura, quod fieri potest per pauciora, quia sapientissima est (*p*), & nihil admittit frustra.

(*n*) 1. Coel. c. 8. T. 76. & seqq. (*o*) In libro qui inscribitur quod ceſſaverint oracula Conimbr. I. Coel. §. 9. I. a. 2. (*p*) Scalig. Exerc. 61. f. 1.

### XLIII.

Finitum esse magnitudine evicit Aristoteles sex potissimum rationibus; quarum potiores, vel magis earum summae sunt hæc. Prima (*q*): Si extimum mundi corpus esset infinitum, & vero moveretur, tunc infinitum brevi temporis spacio posset pertransiti. Duæ enim lineæ à centro in infinitum protensa infinito inter se distarent spacio, quod corpori mobili emetiendum foret.

(*q*) I. Coel. c. 5. T. 35.

Altera

4. IX.

4



## XLIV.

Altera (r) : Cœlum movetur tempore finito, Ergo magnitudine nō est infinitum. Inter magnitudinem enim , spaciū & tempus debet esse proportio; quæ nulla esset infinite mundi concessa. Finiti namq; ad infinitum nulla est proportio (s).

(r) I. 36. 37 & 838. loco citato, (s) S. Physic. T. 15.

## XLV.

Audi tertiam (t) : Figura nihil aliud est quam termini magnitudinis, vel terminorum sive extremitatis dispositio (u). Quicquid igitur figura est præditū, certos habet suæ magnitudinis terminos. Esse autē cœlum, & consequenter mundum figura præditum, & quidem sphærica ostendit rotunditas astrorum , ortus & occasus syderum circulariter motorum (x) & metus vacui.

(t) I. Cœli T. 93. (u) Scalig. Exerc. 61 s. t. Exerc. 359. sect. 4.

(x) Eccles. 1. v. 5. Ecclesiast. 24. v. 8.

## XL VI.

Deniq; ratione durationis , quæ tractus essendi continuatus est, non esse æternum , sed determinati temporis de fide tenemus (y), utpote, qui ante 5570 annos initium sortitus scribatur: Quamvis duratio à primis ejus incunabulis usq; ad incunabula creatoris ~~de~~ <sup>ad</sup> propter Chronologicarum opinionum diversitatem (z) certò sciri non posse videatur.

(y) Hebr. 11. v. 3. (z) quas breviter collegit Casmannus: in cosmopœcia.

## XL VII.

Et quemadmodum initium , ita & finem aliquando habiturum dicit Pietas (a) Dissolvenum potest à quo est.

col.



colligatus, ut loquitur Cicero (b). Quomodo vero sit inter-  
ritur, nū *κατ' εργα*, velt tantū *κατ' αλλοιων*, quæstio est maxi-  
mè controversa, & utraq; assertionis pars magnos habet  
autores. Nobis etiam si h̄c cum Heerbrando (c), Vogelio  
(d), & alijs permultis, quos recenset D. Gesnerus, in expli-  
catione Ps. 102. Christianè licet *πειρίζειν*: tamen cum  
priori quæstionis parti magis faveat sacrarum literarum  
autoritas, cum D. Hunnio (e) eam amplectimur.

(a) *Luc. 24. Ps. 102. (b) in lib. de Vniverſit. (c) in loco de  
consummat: seculi quæſt. ult. (d) in Thesauro Theolog. loco 28.  
(e) in lib. de provident. & prædictinat.*

#### X L V I I I.

Atq; h̄c etiā finis esto hujus disputationis, in qua  
equidem pleraq; latius potuissent diduci, & copio-  
sius proponi, sed brevioribus in Lyceo  
spacijs ambulandum nobis  
esse putavimus.

*Tēpēs ἡγεμόνετων.*

- An univerſum sit perfectum? A.*  
*An mundus factus sit in instanti? N.*  
*An cœlum sit omnium corporum naturalium  
præstantissimum? A.*  
*An materia cœlestium & sublunarum diffe-  
rant specie? A.*

F I N I S.



05 A 2470



VD 17



